OXONIENSIVM
στεναγμός

Siué, carmina ab Oxoniensibus conscripta, in obitum illustrissimi Herois, D. Christophori Hattoni Militis, summi totius Angliæ, nec non Academiæ Oxoniensis Cancellarii.



OXONII,
Ex officina Typographica IOSEPHI BARNESII,
Anno Domine. 1592.



AMPLISSIMO HEROI, D. THOMÆ SACKVILLO BARONI DE BVCKHVRST, SERENISSIMÆ Regiæ Maiestati à consiliis, Domino & *Cancellario nostro honoratissimo, summæ obseruantiæ*, & obsequii ergo.

NArrare musa cœperat
Tristes querelas Galliæ,
Quas luctuoso tempore
Bartholomæus adidit,
Gallus quòd Atlas occidit,
Dignas tragœdias tuo
Quas consecrarem nomini.
At dùm repentè cogito
Luctus recentes Angliæ;
Togata quas respublica
Cui tu patronus præsides
Fundit querelas vndiq;
Anglus quod Atlas occidit,
Pares tragœdias tuo
Quas consecrarem nomini:
Narrare musa desinit
Omnes querelas Galliæ
Quas luctuoso tempore
Bartholomæus adidit
Gallus quod Atlas occidit.
Externa quippè singula
Minora sunt domesticis.
Hás igitur (Heros inclite)
Tristes camœnas accipe
Tuo sacratas nomini:
Atlante demùm mortuo
Nostrumq; (sicut assoles)
Polum precamur viribus
Tuis cadentem sustine.

Honori tuo deuotissimus.

IOHANNES DOVE.

In obitum honoratissimi domini & Cancellarij nostri D. Christophori Hattoni summi totius Angliæ Cancellarij.

QVi patulos nupèr procero vertice ramos
Vndiq; diffudit, claro qui stemmate lauros
Vicerat, & Libani cedros æquauit honore,
Corruit, & subito cæsis radicibus heros
Occidit Hattonus, nostri flos inclitus æui,
Dulce decus patriæ, musarum magnus alumnus,
Iustitiæ columen, legum moderator, asylum
Supplicibus, regni & Reginæ fidus Achates.
Plangite pierides, lacrymarum fundite riuos.
Indue Lugubres Academia mæsta querelas,
Dicite mortales mundi quam vana voluptas,
Quid peritura iuuant, nocituraq; gaudia secli.
Cernite mortales quam fallax gloria rerum,
Splendor opum quid, celsus honos, quid gratia regum,
Discite Christicolæ quam lubrica stamina vitæ,
Quid flos? quid glacies? quid bulla? quid herba? q. vmbra?
Omnia ceu nebulæ sole exoriente liquescunt,
Orta cadunt atq; aucta ruunt, mortalia perstant
Nulla diu, nulli didicerunt parcere parcæ.

EDMVNDVS LILLIVS. sacræ theol: doctor, Colleg: Bayliolensis præfectus.

Dia logus inter Remp: & Ecclesiam.

FVnereo cur cincta sago, lacerata capillos, R:
Incedis mæstis passibus, alma soror?
Vna mihi tecum soror est hæc causa querendi, E:
Orba fleo nato, tu sine patre gemis.
Quæ sine patre gemit, merito gemit: orbaq; prole R:
Quæ flet, flet merito: lædor at ipsa magis.
Læderis ipsa soror, magis at non læderis ipsa, E:
Læditur vtra minus, læditur illa nimis.
Heu cecidit columen pietatis, culmen honoris,

Malleus hæreticis, scismaticisq; lues.
Ergò, mei planctus quatiant fundamina mundi
Fluminis ergo vices lumina nostra gerant.
R: Gentis gemma, pater patriæ, nitor & stupor orbis
Has liquit terras angelus Angligenum.
Ergo, mei testis vultus, vestisq; doloris,
Lugubris hæc, alter luridus esto mihi.

Consolatio.

Iam satis indultum est lacrymis, cohibete sorores
Luctus, mensuram transiliisse nefas.
Angelicis stipata choris mens æthera scandit,
Corporis exuuias sculptile marmor habet.
Sic tibi mors prodest quæ prodest sola nocendo,
Fama viget nullis interitura rogis.

NICHOLAVS BONDVS sacræ theologiæ Doctor Coll: Magdall: Præses.

QVis fueris, qualis, quantus, tua gloria monstrat
Diuitiæ, virtus, principis atq; fauor.
Quis sis, sis qualis, quantus, tua prædicat vrna
Vna dies referet, nouit at ipse deus.
Nouit at ipse Deus tibi qui reserauit Olympum
Cum Christo vt regnes tempus in omne tuo.

Τοῦ αὐτοῦ κατὰ τὴν μίμησιν τοῦ Θεοκρίτου
Ἄρχετε Κανταβρικαὶ τῶ πένθεος ἄρχετε μοῖσαι.
Αἰάζω τὸν Ἄλωνον, ἀπώλετο καλὸς Ἄλωνος.
Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον αἴ αἴ.
Λάμβανε τοῖς πετάλοισι καλὸς τέθνηκεν Ἄλωνς.

THOMAS HOLLANDVS sacræ theol: Doctor & professor regius, illi omnia sacris.

Vide 25 Emblema Iunii.

HEV medicina meo non auxiliata Patrono,
Quid sceptrum? quę nec morbū regis arte nec egrū

Quid

Quid laurum? summi nec honoris alumna, nec altrix.
Quid baculum? medicus quo cæditur, excidit æger.
Quid catulum; cui capta fidem capitolia perdunt.
Quid colubrum? positam non docta resumere pellem.
Quid gallum? quæ nec vigil es, nec Martius ales.
Quid barbam? longæua magis quam credita iudex.
Quid sedem iactas? cui nulla, vel vltima sedes.
Heu sceptrum regni, Reginæ, iuris & æqui,
Heu laurus procerum, musarum, vt & vrbis, & aulæ,
Heu baculus patriæ, viduæq; insontis, egeni,
Heu canis exemplar fidei, mordentis, amantis,
Heu coluber custos Lynceo lumine templi,
Heu gallus bello arma canens, pace aptus ad artes,
Heu barba expertæ mentis decus, & decor oris,
Heu sedes sedata ferens, amplissima sedes.
Heu periit medicus, periit medicina: quid ergo
Quid restat medicina tibi nisi concinis heu heu?
Quid restat medico, nisi vox miserabilis heu heu.

IOHANNIS CASEI medicinæ doctoris in vmbram Cancellarii & medici parallela conquæstio.

Anglia quid tristis? tristis quid Principis Aula?
  Quid fluit in miseros tanta querela sinus?
Quid Plebs? quid Clerus? tristantur conscia recti
  Quid Fora? Musarum quid dolet alma cohors?
Anglia Ciue caret, Fora iudice, Templa patrono,
  Aula Satellitio, Plebs Patre, Pauper ope:
Occidit Hattonus, quem nunc Academia luget,
  Princeps orba viro Consule mæsta dolet.
Condolet: at nostri tamen illa misetta doloris,
  Musas fortunę spe melioris alit:
Occidit Hattonus: superest Buchurstius Heros,
  Non minor hic Musis, quam, fuit, ille, pater.
Qui sapit, hunc capiat, cupit ipsum Musa, Patronum
  Qui sapit, is paret, quem cupit ipsa, capit.
Sic nos solatur, Nouus hic succe ssor habendus:

 Sic

Sic ſolet exactâ nocte redire dies.
Non obiit, ſed abit, mutatur nomen, at omen
Te, Sacuille, manet, Parcere velle Sacris
Purgauit templum Chriſtus, non diruit Ædes,
Quiq; tulit Chriſtum nomine, talis erat
Chriſtofer Hattonus, talis Buchurſtius Hêros,
Non bona, ſed templi quærit vterq; bonum.
Quid reſtat? gratâ niſi dona capeſcere mente,
Quæ Deus, & nobis Regia virgo dedit.

RODOLPHVS HVCHENSON Coll: D. Iohn Baptiſtæ Præſes.

ECCE Hattoni mortem audiui.
Mortem audiui? & viuere poſſum?
Hatton moritur, vita ſuorum,
Aulæ, Oxonij, procerum, patriæ,
Viuere poſſunt quæ ipſius erant,
Aula, Oxonium, proceres, patria?
Cui maieſtas in fronte Iouis,
Suada ore ſedet, qui Numa legum,
Scæuola iuris: qui Cato patrum,
Populi Cicero: quo quis melius
Dixit? vixit? ſummus honore
Quoniam ſummo dignus honore.
Heu quod honores negat VNTONO
Gratia viui, quos ſpero ſferet
Propria virtus, meritoq; feret.
Volui totos fundere fontes
In tam triſti funere flendo,
Etenim flendus dominus charus
Et mihi charo nomine flendus.
Ægrè potui: cauſa nec vlla eſt
Flendi maior, quam, cum cupias
Fundere fletus, tundere pectus.
Nec mihi durum fundere fletus,
Et tam triſti in funere promptum.
Potui flere, at nil niſi flere

Volui

Volui fletum prodere versu.
Nec mihi durum cond ere versus
Et tam tristi in funere promptum
Potui versum, at nil nisi versum.

MATHÆVS GWIN.

QVos amor, & pietas, & virtus inclyta iunxit,
Non seiungit eos Mortis amara lues.
Mors vt amara tuis fuit, inuida sic fuit illa,
(Hattone) humanis inuida rebus erat.
Nam si te viuo virtus, pietasq; vigebat,
Si nos floruimus, quando superstes eras:
Oxonium, credo, quia non es, non erit (eheu)
Iam poterant Musæ te moriente, mori.
Fallor? an hauddubiè, Mors in te victa stupescit,
Tu quia Christophorus, cristaq; Christus erat?
Nunc igitur cristam tollens in morte triumphas,
Parsq; tui melior morte cadente manet.
Et manet illa quidem non solum Morte subactâ,
Sed (Sacuillus ait) nobilitata manet.
Scilicet Oxonii curam gerit ille Tuiq;:
Nec feret, vt virtus vestra sepulta cubet.
Molliter ossa cubent, virtus sit honoribus aucta,
Quos eius pietas est paritura nouos.
Nam studiis hominum se deuouisse piorum
Dicitur. Hunc summus protegat ergo Deus.

RODOLPHVS RAVENS.

Sparsis Musa comis, trepidis delubra querelis,
Aula, forum, sortis flent fera fata suæ.
Nam quibus Hattono viguerunt singula saluo,
Ista, simul mæstis sunt malè quassa rogis:
Nec tamen in cineres recidit cum funere virtus,
Quum, quæ summa illi, sit quoq; prima tibi.

Viue igitur Buchurste precor, ter honoribus aucte
Regni, Musarum, Principis, orte decus.

IOHANNES PERIN.

AVla senatoris, patroni Academia mortem
Personat, Hattoni funera quisq; sonat.
Vsq; adeo Parcæ vestræ non parcitis iræ,
Vnius vt reliquos morte grauare iuuet.
Sed deus est noster non vltrà oneremur onusti
Qui grauat inde manus & leuat inde suas
Aggrauat Hattonus. Buckhurst mala nostra leuabit
Mortuus alter opem non habet, alter habet,
Alter in alterius succedens munus, alumnos
Oxonii semper duxerit esse suos.

ANTON. GITTENS.

MAgne parens patrę, regni lux altera nostri,
Christophore Hattone, ista tuis si digna rependi
Munera pro meritis possint, & gloria tanto
Sufficiat post fata viro: tibi phœbus, & omnes
Musæ, aram statuunt extructam adamante perenni,
In qua, relligio, pietas, prudentia, virtus,
Iustitiæ intemerata fides, incisa manebunt,

AEquabat regnum fortuna, potentia fulmen,
Mens cælum, fulgor sidera, vita deum.
Fama ingens, fælix ætas, notissima virtus,
Summus in excelso culmine stabat honor.
Tot bona mortalis ne sors turbaret, ad astra,
Mollia sublimem fata dedere viam.
SIc legit autumnus fruges, sic messis aristas,
Sic micat in patulis gloria plena rosis.
Sic aurora rapit stellas, sic luna fatiscit,
Sic condunt solem nubila, noxq; diem.

W. WHITLOCKE.

TANDEM si solitum seruarit Cynthia vultum
Siq; EADEM maneat SEMPER honore fruar.
SEMPER ea est E'ADEM tu SEMPER honore frueris
Quid tibi si? TANDEM quid tibi? SEMPER habe.
SEMPER habe quod habes, & sempèr honore frueris
Sempèr amica EADEM Cynthia SEMPER erit.

Pelides Danai columna regni
Velox ad superas volauit oras.
Aiax arma sibi petit relicta
Quærit Sysiphides sibi, nec vllâ
Sedatur ratione mentis æstus.
Quid tanto meditemur in timore?
Quid uè in turbine factitemus isto?
Pelidem reuocemus auolantem,
Pelidem modo clamitemus vnum,
Donèc de superis benignus oris
Indutus solitis feratur armis
Pelides Danai columna regni.

Vt tibi pro Danais qui victima prima carinis
Hattone occubuit, dux imitandus erat:
Sic Astręa tibi virgo spectanda, quod illa
In diis inuisâ sola remansit humo.
Namq; vt fortis eras debebas temnere mortem,
Vt iustus, miseram pertimuisse necem.

FRANCISCVS BETTES.

VEstalem Romæ seruandum legibus ignem
Tradere virginibus consuetudo fuit,
Perpetuoq; sibi custodiretur vt ignis
Vt caueant illas cura iubere fuit.
Nil mirum tanti quandò molimina regni
Illo seruari sempèr ab igne putant.
Est ignis pietas, est Roma Britannia, virgo
Vnica mens recti conscia, vesta tua est

Occidit hæc pietas, periit lux, omina tanta
Heu vereor ne sint (Roma) ruina tibi.

Omnibus æquus erat: quid maius possidet orbis?
Nulli iniustus erat: maius in orbe nihil.

THOMAS YAYDEN.

MOrtuus est Cecrops & lamentantur Athenæ,
Indigenasque mouent tristia fata Deas,
Aegide plorantes velat Tritonia vultus,
Et fert ante oculos Gorgonis ora suos.
Miraturne alijs Musas tacuisse videntes
Nec potius factas saxa fuisse putat?

MAVRICIVS MERIK.

SI qualis supra talis submersus Arion
Nec plato in AEgypto desinit esse plato:
Si quod Erythræis aurum miscetur arenis
Carius est proprias quando reliquit aquas:
Quantus in æthereâ stat Cancellarius arce
Sedibus aëreis qui modo tantus erat?

Mirandus Atlas si polum tulerit suis
Humeris vtrumq;, baiulus toti simul
Choro deorum? nulla inest grauitas polo
Natiua summo quem leuitas posuit loco.
Onusta terra est, huius est pondus graue
Cuiusq; partis, quam suâ si quis manu
Suffulsit, ille iure mirandus suo.
Hattonus hic est, cuius auspicio diu
Deâ imperante, terra cui nomen dedit
Brutus, beato constitit, fælix polus
Vterq;, finem litibus faciens forum,
Et nos Academi grata posteritas: quibus
Minus dolendum, non quia ereptum polo
Atlanta nostro hunc vidimus: nimium hoc graue:
Sed quia reliquit Herculem nobis suo
Loco ferentem sidera & cælum hoc suum.

THOMAS BARKER.

Si

Si mens, si virtus, si gratia principis ornant
Hattone nec tenuis nuda nec vmbra iaces.
Occidis exesos renes torrente lapillo,
Nunc tibi sub lapidum mole beata quies.
Cum generi humano lapis intra viscera crescat,
Quis poterit tumuli non meminisse sui?

IOHANNES HOSKINS.

NOcte retro cum leuabam
Bina ad altum lumina,
Propter vrsam stans minorem
Stella pulchra apparuit.
Stella quæ non antè cuiquam
Luxit vllo tempore.
Fallor? aut Hattonus heros
Nuper istinc auolans
In supremo collocatus
Iam novus fulget deus?
Fallor. istinc nam receptus
In domum summi dei
Cuncta vincens astra honore
Læta degit secula.

RODOLPHVS BAILYE.

Sol quod solus habet perenne nomen.
Tu quod solus habes perenne nomen.
Solus nam solitus nouem sorores
Solum perpetuâ fouere curâ.
Eheù, dum loquor hæc, laborat ille.
Eheù, dum loquor, est peremptus iste.
Quis terris ideò manere solem
Aut solis rutilans iubar fatetur?
Sìc binos properans probare soles
E' mundo videor fugare solem.

EDWARDVS SOVTHWORTH.

Vidi Thalia, vidi
Paucis abhinc diebus
Hattonum amorem, ocellum,
Et corculum bonorum
Gestatum equis superbis
Curruq; prenitente
Illustre in vrbe Luddi.
Quærisne quem putarim?
Ego cælitùs putaui
Lapsum fuisse Phæbum
Vnà cum equis anhelis
Curruq; cum micante:
Nam, lux, iubarq; vultus,
Radiansq; frons nitebat
Ceu clara flamma Phæbi.
Eheu fefellit ingens
Fulgor meos ocellos.
Amorq; iudicanti
Videtur obfuisse.
Non ille imago solis
Fuit sed aucta luna.
Namq;, ille passus almum
Terrâ tegente vultum
Eclipsin est repentè.

GVILIELMVS HARRIS.

PAllade neglectâ dilexit Apollo Sybillam.
Pallade neglectâ? Proh scelus: Hatton ait,
Turpe cauere deo non posse cupidinis arma
Ille suo tales ædidit ore sonos:
Ædidit ille suo, sed non tamen ædidit ore
Sic eius vere vita loquuta fuit.
Non venus ergo tibi, Pallas tibi sola placebat
(Vir bone) fatidico cautior inde deo.
Ergo tuum semper cantemus carmine nomen,
Ergo suo notus crimine Phæbus erit.

GVLIELMVS MORTIMER.

Tendis

TEndit in Hattonum sua mors dum spicula, forte
A tergo Memesis succincta
Flagris, admonuit facinus committere tantum
Queis dignum fuerit tormentis
Morti spreta dea est, & arundine fixit acutâ
Hattonum, medium per pectus.
Vltrix non aderit Memesis pænasq; reposcet?
(Non oblita suæ est naturæ)
Immò dabitq;, deditq;, ac dat mors improba pænas
Quæ læsit vehemeutem diuam.
Mortem in morte petens queritur sua fata, diesq;
Mærens non moriens consumit.

RICHARDVS FITZHARBERT.

DVM cita tardigradas superat Proserpina nymphas
Ditis ad infernas ducitur vxor aquas:
Dum sophiâ reliquos supereminet Hattonus Anglos
Fertur ad æthereum tangat vt astra, polum.
Illa diu miseram latuit quæsita parentem,
Nostra Ceres sobolem quærit anhela suam.
Nec tamen exaudit tam vanas illa querelas
Cum Ioue consilium nunc initura novum.

IACOBVS COOKE.

PLurima Cumææ concessit secula Phæbus
Secula cum septem viderat ille prius
Pauca sed Hattono multis cum dignior ille
Sic implent numeros deteriora suos.
Ergo tuum floret (vir præclarissime) nomen
Ergo tuum semper crimen Apollo manet.

THOMAS LYDIAT.

Rarus erat Nestor, phænice & rarior omni.
Æque etiam rarus nobilis iste fuit.
Nestoris vt similes optauit Græcia multos
Sic eius similes Anglia nostra cupit.

Angſia ſi tales, ſi ferret Græcia tales
  Multos, quàm fælix vtraq; terra foret?

ANTONIVS COMBE.

Iure quidem proprio reſpublica cymba vocatur
  Quam regit in dubiis nauita Typhis aquis.
Fluctuat, & variis circundatur illa procellis,
  Fluctuat, & facilé mergitur illa ratis.
Noſtra diu multumq; fuit iactata carina,
  Noſtra ſed, en perte, tuta carina fuit.
Tuta carina fuit dum tu modo Typhis in illa
  Rector eras, miſerè te pereunte perit.

THOMAS IEAMES.

AEaciden Græci lugebant, Hectora Troës
  Defenſor patriæ fortis vterq; fuit.
Neuter erat prudens vt rex Ithacenſis vlyſſes.
  Conſilio aut ſimilis Polydamantis erat.
Quid lacrymas parce miſeri diffunditis Angli?
  Cautior Hattonus noſter vlyſſe fuit.
Fortior AEacida, robuſtior Hectore in armis,
  Conciliis & non Polydamante minor.
Quam bene defendit patriam cognoſcite, vitam
  Ponit, dum regni grandius vrget onus.

THOMAS HOPPER.

IN terris tua quid climax, niſi certa figura
  In cœlum aſcenſus, qui ſequeretur, erat?
Parte tui (quis enim dubitat?) meliore ſuperſtes,
gaudia ſanctorum in ſede beatus habes.

IOHANNES POLLEXPHEN.

IN patriam quondam Delphinus Ariona vexit,
  Cum foret in media iam propè merſus aqua:
Hunc quoq;, quem rerum magnarum fluctibus actum
  Nouimus, in patriam ſuſtulit ipſe deus:

THOMAS NELSON.

Eheu

EHeu, gementis vox lachrymabilis,
Ingressa nostram est iustè Academiam:
Obire Mecænas refertur,
Grande decus, columenq; nostrum.

ROBERTVS CODRINGTON.

Ἥττον cum fuerit, morti bene cesserat Hatton:
Hinc animi cauti deducitur argumentum.

FRANCISCVS LOVET.

DIcite mortales, Terram qui dicitis esse,
Cur vocat Heroum corpora Terra vorax?
Terra vorat; quia Fata vocant pueros, viros;
Heroas, inopes: Terrâ proinde vorat.
Dicite Mortales, Cœlos qui dicitis esse;
An simul in Cœlos vnus & alter eunt?
Vnus & alter eunt; sed non simul ibimus omnes:
It bonus in Cœlos; decidit inde malus.
Sic iuuat esse Bonū: Cœlum patet vndiq; Recto:
Orcus hiat Reprobo. sic nocet esse Malum.
Dicite Mortales Hattonia fata dolentes:
Quæ loca magnificum surripuêre virum
Infera corpoream condunt habitacula molem:
Spes animam superis collocat alma locis.
Sancta viris fæcunda parens, Ecclesia, rectis;
Fons pietatis, Honos orbis; Amica Dei:
Si tibi profuerint Hattonia facta; quid hæres?
Soluitor in Lachrymas: funera flenda fleas:
Clara bonis, veneranda piis Academia; doctis
Nobilis ingeniis (mæsta Caleua) stupes?
Si tibi vim tulerint Hattonia fata; quid obstat?
Amodo fac doleas fata dolenda diū.

THO: SAND:

VErsus pandite flebiles
Sacratæ soboles Mnemosynes piæ.
Quem Pallas Dea bellica

Angſia ſi tales, ſi ferret Græcia tales
Multos, quàm fælix vtraq; terra foret?

ANTONIVS COMBE.

Iure quidem proprio reſpublica cymba vocatur
Quam regit in dubiis nauita Typhis aquis.
Fluctuat, & variis circundatur illa procellis.
Fluctuat, & facilé mergit
Noſtra diu multumq; fuit
Noſtra ſed, en per te, tut
Tuta carina fuit dum tu m
Rector eras, miſerè te pe

AEaciden Græci lugeb
Defenſor patriæ fort
Neuter erat prudens vt rex
Conſilio aut ſimilis Poly
Quid lacrymas parce miſeri
Cautior Hattonus noſter
Fortior AEacida, robuſtior
Conciliis & non Polyda
Quam bene defendit patria
Ponit, dum regni grandiu

IN terris tua quid climax, n
In cœlum aſcenſus, qui
Parte tui (quis enim dubitat?
gaudia ſanctorum in ſede be

IOHANNES POLLEXPHEN.

IN patriam quondam Delphinus Ariona vexit,
Cum foret in media iam propè merſus aqua:
Hunc quoq;, quem rerum magnarum fluctibus actum
Nouimus, in patriam ſuſtulit ipſe deus:

THOMAS NELSON.

Eheu

EHeu, gementis vox lachrymabilis,
Ingreſſa noſtram eſt iuſtè Academiam:
Obire Mecænas refertur,
Grande decus, columenq; noſtrum.

ROBERTVS CODRINGTON.

Hatton:
entum:
VS LOVET.

orax:
ſq;

nnes:

ecto:
m.

em:

ara bonis, veneranda piis Academia; doctis
Nobilis ingeniis (mæſta Caleua) ſtupes?
ſi tibi vim tulerint Hattonia fata; quid obſtat?
Amodo fac doleas fata dolenda diu.

THO: SAND:

VErſus pandite flebiles
Sacratæ ſoboles Mnemoſynes piæ.
Quem Pallas Dea bellica

ERY
IGHTLY
OUND

Angſia ſi tales, ſi ferret Græcia tales
Multos, quàm fælix vtraq; terra foret?

ANTONIVS COMBE.

Iure quidem proprio reſpublica cymba vocatur
Quam regit in dubiis nauita Typhis aquis.
Fluctuat, & variis circundatur illa procellis,
Fluctuat, & facilé mergitur illa ratis.
Noſtra diu multumq; fuit iactata carina,
Noſtra ſed, en per te, tuta carina fuit.
Tuta carina fuit dum tu modo Typhis in illa
Rector eras, miſerè te pereunte perit.

THOMAS IEAMES.

AEaciden Græci lugebant, Hectora Troës
Defenſor patriæ fortis vterq; fuit.
Neuter erat prudens vt rex Ithacenſis vlyſſes.
Conſilio aut ſimilis Polydamantis erat.
Quid lacrymas parce miſeri diffunditis Angli?
Cautior Hattonus noſter vlyſſe fuit.
Fortior AEacida, robuſtior Hectore in armis,
Conciliis & non Polydamante minor.
Quam bene defendit patriam cognoſcite, vitam
Ponit, dum regni grandius vrget onus.

THOMAS HOPPER.

IN terris tua quid climax, niſi certa figura
In cœlum aſcenſus, qui ſequeretur, erat?
Parte tui (quis enim dubitat?) meliore ſuperſtes,
gaudia ſanctorum in ſede beatus habes.

IOHANNES POLLEXPHEN.

IN patriam quondam Delphinus Ariona vexit,
Cum foret in media iam propè merſus aqua:
Hunc quoq;, quem rerum magnarum fluctibus actum
Nouimus, in patriam ſuſtulit ipſe deus:

THOMAS NELSON.

Eheu

EHeu, gementis vox lachrymabilis,
Ingressa nostram est iustè Academiam:
Obire Mecænas refertur,
Grande decus, columenq; nostrum.

ROBERTVS CODRINGTON.

Ἧττον cum fuerit, morti bene cesserat Hatton:
Hinc animi cauti deducitur argumentum.

FRANCISCVS LOVET.

DIcite mortales, Terram qui dicitis esse,
Cur vocat Heroum corpora Terra vorax?
Terra vorat; quia Fata vocant puerosq; virosq;
Heroas, inopes: Terrâ proinde vorat.
Dicite Mortales, Cœlos qui dicitis esse;
An simul in Cœlos vnus & alter eunt?
Vnus & alter eunt; sed non simul ibimus omnes:
It bonus in Cœlos; decidit inde malus.
Sic iuuat esse Bonũ: Cœlum patet vndiq; Recto:
Orcus hiat Reprobo. sic nocet esse Malum.
Dicite Mortales Hattonia fata dolentes:
Quæ loca magnificum surripuere virum
Infera corpoream condunt habitacula molem:
Spes animam superis collocat alma locis.
Sancta viris fœcunda parens, Ecclesia, rectis;
Fons pietatis, Honos orbis; Amica Dei:
Si tibi profuerint Hattonia facta; quid hæres?
Soluitor in Lachrymas: funera flenda fleas:
Clara bonis, veneranda piis Academia; doctis
Nobilis ingeniis (mæsta Caleua) stupes?
Si tibi vim tulerint Hattonia fata; quid obstat?
Amodo fac doleas fata dolenda diũ.

THO: SAND:

VErsus pandite flebiles
Sacratæ soboles Mnemosynes piæ.
Quem Pallas Dea bellica

Inter Musophilos constituit Ducem:
Hunc, hunc sordida filia
Noctis mors petiit vulnere ferreo.
Quî sic? voluitur anxiæ
Fortunæ dubiis passibus orbita.
Quæ nunc herbula germinat,
Mox in flammineis vritur ignibus.
Et qui nobilis imperat,
Mox fit vermiculis præda voracibus.
Parcæ stamina terminant,
Surdæ sunt lachrymas neminis audiunt.
Musis qui fuit anchora,
Inter cælicolas considet accola.
Dulcis Nectaris ebibit
Hospes cum superis suauia pocula.
Musæ tollite fistulas,
Sacris carminibus reddite nobilem;
Ipsum post pia funera
Ne quis dilaceret dentibus inuidis.
Heros vixerat inclytus,
Dum terris dederant fata palatia.
Viuat sydus in æthere,
Dum corpus cubat in puluere terreo.

GVI: BRADSHOW.

SI cuperem numerare tuas (eques inclite) laudes,
Et canere Ausonio gesta canenda sene:
Et mihi quàm fas est maiora (Hattone) tibiq;
Quam tibi conueniunt inferiora darem.
Quod mihi non fas est, quod non tibi conuenit, illud
His intentatum versibus esse volo.
Sed quid tum faciam? Vel qualia carmina fundam?
Carmina de fatis tristia & atra tuis?
At cur defunctos lugendos carmine tristi?
Aut cur illorum tristia fata putem?
An non per mortem supremas scandimus arces?

An non ad superos hanc patet esse viam?
Parce (Hattone) tuo si iam de funere lætor,
Scilicet, est vitæ mors tua porta nouæ.
De patria, de nobilibus, de principe tristor,
Deq; tuo Oxonio tristia metra Cano,
Tu viue in cælis, decorabunt fletibus vrnam
Oxonium, princeps, cum patria proceres
NICOLAVS LANGFORDVS.

Ecclesia illust: virum D: Christ: Hattonum. plangens alloquitur.

MVndus dum fallit, fauet: & dum pungit inungit:
Sic dolor est tectus fraude, fauore dolus.
Læta fui. dolus hic. Iam sentio læsa ruinam:
Hic dolor. Est geminus te moriente dolor.
Te viuente dolos vici serpentis, & artes:
Imminet exilium, te Moriente, meum.
Te viuente feros prædones tuta subegi:
Te Moriente meo nutrio monstra sinu.
Te viuente leues tantum sum passa rapinas,
Te Moriente meas dissipat hostis opes.
Te viuente novus cessabat scismatis æstus:
Te Moriente nouo scismate scissa gemo.
Te viuente meos pestis Romana patronos
Non læsit, lædi te moriente timent.
Vivus eras tutela mihi, fers damna sepultus:
Inq; tuo nostrum funere funus Erat.
IOHANNES WILLIAMS. olim illius alumnus.

HEV quibus Hattonum lachrimis? quo funera fletu
Prosequor? o vitæ spesq; decusq; meæ.
O patriæ columen, fælicis gloria regni,
O sacra & Astreæ virginis vna manus.
Te princeps, populus, proceres, Academia lugent,
Effectuq; carent tot pia vota suo.
Luna velut solem, sic te respublica quærit,
Sed radios mortis sustulit vmbra tuos.

Lumina virtutum qui sideris instar habebas,
Nunc verum æterno sidus in orbe manes.

THOMAS ALWIN.

NEC mutat decreta colus, nec stamina Parcæ,
Si suadela valet, flectere fata volet.
Hattonum Lachesis sortita est, Atropos occat,
Parcarum constant omnia lege trium.
Regia, nobilitas, clerus, Regina, Senatus,
Plebs, musæ, vnanimani nænia voce canunt.
Mille det ora deus totumq; Helicona Thaliæ,
Hattoni exequiis æquiualere nequit.
Christophori, Quorsum flent musæ? gloria Christo.
Spiritus Elysium, terra cadauer habet.

GVLIELMVS AVBREY.

LVmina si Mariæ Magdalenensis haberem
Totus ego vitreas soluerer in lacrymas.
Illa pedes Christi lacrymarum flumine lauit,
Sic esset lacrymis obba referta meis.
Nec possem tumulum satis humectare, suoq;
In tumulo cineres rore rigare meo.
Ergo mihi cupio multas fore Magdalenas
Vt sua fas esset busta rigare satis.

Mense nouembris obit, ter tres quasi tristibus imbres
Sat possent mortis fletibus esse suę.
Mense decembris erat funus, quasi luctibus imbres
Deni sat possent funeris esse sui.
Malo simul potius bisseni dentur Apriles
Vt madeant riguis terra polusq; genis.

Hectoris in tumulo canum de vertice crinem
Inferias inopes, Hecube, lacrymasq; reliquit.
Illius ad tumulum grato de pectore carmen
Exequias tristes fundo, lacrymasq; relinquo.

Christopher à Christo nomen sortite ferendo,

Tu

Tu tuleras Christum, pertulit ille crucem.
Sunt crux & Christus comites, simul ergo necesse est
Vnum qui tulerit pondus, vtrumq; ferat.

Christopher vt Christum, cælos ita sustulit Atlas,
Est Christus maior, sed polus iste minor.
Quo Christus maior cælo, tanto minor Atlas
Christophoro, maius namq; subibat onus.

IOHANNES DOVE.

CÆperat obiectis terreri Cynthius astris,
Per mediasq; senex expauet ire feras,
Extremos tandem resilit stupefactus in austros,
Nec currus, nisi quis monstra fugarit, aget,
Ecce Cyclopæum sensit fore Iupiter orbem,
Ni, Phæbum vt reuocet, mitia signa paret.
AVREA depulso succedit CERVA leone
Cynthius hac ad nos alliciente redit.
Reddita iam fuerat redeunti lumine terra,
Se tamen his reddi legibus illa dolet.
Nam putat extincti leuiora incommoda solis
Quam iam sunt CERVÆ damna futura suæ
In qua, si cupiat, fiat sibi copia solis,
Quæq; orbi possit reddere sola diem,
Quæ modo STELLARVM CAMERÆ præfecta suarum,
Obruerat chorum lumine plena suum.
Hæc tamen vna suæ terris est gloria CERVÆ
Hac est admissa mitior ipse polus.

HENRICVS PRICEVS.

QVid? vestros Arabes Phœnices dicitis omnes?
En peperit fælix Anglia prole duos.
Nam prius in cineres vix est Hattonus adustus
Quam Phænix Buckhurst venerit inde novus.
Claraq; tenebroso cum Cynthia splenduit orbi;
Ascendis currus inclyte Phæbe tuos.
Hinnulus occubuit Diuæ percharus Elisæ

 Nunc

Nunc Aries tollat cornua pulchra niger.
Viue diu Phænix, & longo tempore fælix,
Illustres multos Phebe secunde dies.

NICOLAVS LIMBEI.

Cerua Cha·issima & gratissimus
Hinnulus.

INter Nobilium monumenta insignia laudum
Stemmata quid referam, quæ stipat turba Ferarum?
Quid ceruos agiles Taurosq;, Damasq; pauentes,
Quidue lupos tristes, Aprosq;, Caprasq;, Canesq;,
Atq; Tigres rabidos, & Equos, Vrsosq;, Draconesq;
Alituumq; duces memorem regesq; Ferarum;
Cælo donatos, magnaq; ibi mole grauantes
Herculeasq; manus, humerosq; Atlantis, ab illo
Tempore, quo liquere solum, cœlumq; tulere?
Hinnulus hic (Hattone) tuus, gratissimus olim
Nobilibusq; feris Procerum, Regumq; Leoni,
Quonam abiit, petitis? dicam: Vidi, ipse ego vidi,
Elysios peteret quàm fausto tramite campos.

NATHANIEL DOD.

CUr summum in terris tibi fata Hattone dederunt?
Quum decus in summo est cur voluere mori?
Scilicet inuidere tibi decus (Anglia) summum.
Snmmum cælicolis aptius esse putant.

ROGERVS EWER.

MIlitat in terris Ecclesia, sed Duce fuso,
Quę sperare sibi non metuenda potest:
Corporis effigem præbet Respublica, membrum
Precipuum demas, & male corpus habet:
Instar natorum turba est educta, perempto
Patre, nihil fœlix, quod sibi speret habet.
Esse Ducem sensit te (Hattone) Ecclesia, membrum,

Publica

Publica res patrem docta caterua suum.
Quodq; duce illa caret, membro caret ista, parentem
Altera non sentit succubuisse suum.
Suscipiunt omnes imo de pectore questus;
Solamenq; malis illa nec ista capit.

Epigramma in eiusdem emblema: Periissem nisi periissem.

Quem fragilis quondam periturum vita loquuta est,
Illum mors nobis iam periisse docet.
Sed tamen vt vixit moriturus, sic quod obiuit,
Denuo vt æternum viuere possit habet,
Ergo tibi periisse lucrum est (Hattone) perempto
Cui sic pro fragili, vita perennis adest.
Quippe quod in membris Christum (dum vita) ferebas.
Factis teq; docens nomine Christopherum.
Te tulit idcirco Christus super æthera vbi ipsum
Quem tulerat, posthac, Christopherus celebret.

Iterum.

Dudleium nuper questa est Academia Patrem
Orbaq; in illius funere funus habet.
Christophero donata nouo tamen illa parente
Destitit atratam depositura togam.
Nunc quia te patre est prorsus orbata perempto
Quidni pullata veste perennis eat?
Isset in æternum, nisi quam tua reddidit orbam
Mors alium poterat restituisse patrem.
Sic quæ viua parem generis negat vnica Phænix.
Mortua, Progeniem suscitat inde nouam.
Ergo mitte queri posthac Academia Patrem.
Cuius grata alium dant tibi fata Patrem.
Quin potius placidæ defunctum linque quieti,
Teq; para viuum concelebrare patrem.
Pro cuius florente statu pia vota ferantur
Nestoris vt cui sit gratia, vita fiet.

THOMAS COOPERVS.

Scio dolere, lector, hoc satis tibi,
Perēptus ense, quòd iacet ferę necis
Senator, vnicum inter Aulicos Decus,
Quot aut fuere sæculis prioribus,
Eruntq; posteris fati nepotibus.
Dolendus ille (si quis alter omnibus)
Atraq; veste lachrymisq; mollibus:
Sepulta cuius in breui latent rogo,
Fides sacrata, numinis boni timor,
Amorq; verus, & Decens benignitas,
Diserta iuris ardui scientia,
Amabilisq; candor & modestia.
Virtusue quāta claudit hęc caua vrnula
Decora patriæ, reique publicæ?
Abi, taceque. Sin loqui lubet scias,
Deos dedisse manibus silentium.

Naturæ satis est, satis est Hattone Decori
Vixisse, at patriæ non satis esse potest.
Scilicet hoc. Vno, modus est deterrimus omnis,
Quodq; satis nunquam est, id nimis esse nequit.
O si concordes, duxissent stamina parcæ,
Soluisses pa triæ, hoc plenius officium:
Nunc vbi sæua suum vertit fortuna tenorem,
Velle tibi satis est, nec potuisse dare.

IOHANNES BVDDEN

QValitèr in fragili viuentes corpore, vestes
Exuimus veteres, induimusq; nouas:
Talitèr Hattonus, potiori cinctus amictu,
Vestitur, celsi dum petit astra poli.
Induitur Christo, deponit carnis amictum
Exuuias veteres, induit atq; nouas.

IOHANNES BONNER.

FINIS.


LAMBETH PALACE LIBRARY